

Die Urkunden Ludwigs II., 51

In nomine domini nostri Iesu Christi dei aeterni. Hludouicus divina ordinante providentia imperator augustus. Si liberalitatis imperialis munificentiam fidelibus quibusque nostris benigne concedimus, quanto potius dilectae nobis coniugi, quam divinitus in adiutorium commissi nobis imperii percepimus sociam, cunctae dapsilitatis commoda conferre nos convenit. Quapropter omnium fidelium Christi sanctaeque ipsius ecclesiae comperiat generalitas, quoniam cum tractatu et consilio atque unanimitate imperii nostri primorum Angilbergae serenissimae augustae et imperatrici atque desiderabilissimae coniugi nostrae per huius auctoritatis nostrae p[ro]aeceptum confirmamus et roboramus omnes res tam moviles quam immoviles seseque moventes nec non et familias utriusque sexus una cum acquisitis rebus earum, quas sive per largitionis nostrae diverso tempore emissa p[ro]aecepta sive per collata sibi ab aliis monumenta chartarum, donationum scilicet vel venditionum sive per quemcumque alium modum acquisisse sive possedisse dinoscitur vel a nunc acquirere potuerit, omnia haec in perpetuum stabilientes ei et, ut praediximus, roborantes. Similiter autem donamus ei a praesenti die atque concedimus in perpetuum, quaecumque ex superius comprehensis et annexis rebus vel familiis per quaecumque legum iura ad nos pertinere vel competere comprobantur sive deinceps pertinere noscentur, ita ut et haec cum illis praesenti imperiali munificentia et auctoritate munita perpetualiter potiatur et suo semper iuri vindicet atque defendat, ad possidendum videlicet et utendum omnibus his in perpetuum atque donandum ac relinquendum, cui voluerit, et de his omnibus agendum, quod sibi placuerit. Quisquis autem successorum nostrorum imperatorum vel alterius cuiusque dignitatis aut conditionis hominum contra huius imperialis p[ro]aecepti seriem in toto vel in parte agere temptaverit et de his omnibus quicquam auferre vel minuere aut ab aliquo sibi quocumque modo dandum postulare p[ro]aesumpserit sibique usurpare vel vindicare quolibet ingenio conatus extiterit aut illi super his omnibus vel eis, quibus ipsa horum aliquid contulerit, molestiam aliquam inferre p[ro]aesumpserit, primo quidem nisus eius nullas vires habeat, deinde vero pro solo p[ro]aesumptioso conamine auri obrizi duo milia librarum exsolvere compellatur, quarum dimidia pars praefatae augustae tribuatur, dimidia vero a principe, qui per tempus fuerit, exigatur. Atque ut haec nostrae confirmationis auctoritas firmior habeatur et in futura tempora inviolabiliter conservetur, manu propria subter signavimus et de bulla nostra insigniri p[ro]aecepimus.

Signum (M.) Hludouici serenissimi imperatoris augusti.

Ego Leudoinus archipresbiter palatinus iussu imperatorio advicem Farmundi
recognovi et (SR.)

Datum anno domni Hludouici serenissimi imperatoris augusti XX^{mo}I, indictione III, III
non. iun.; actum civitate Uenusia; in dei nomine feliciter amen.

(B. D.)